



REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI
AC DOMINO
D. CHRISTOPHORO
DE FRANCE
E P I S C O P O
A V D O M A R E N S I .



OMMUNI Angelicoque Doctori THOMÆ AQUINATI R.^{MS} ANTISTES, cum Doctorali Laurea donandus, Magisterque in Sacro Theologiæ studio esset renunciandus, supernè iussum ferunt, vt pro Themate actus sollemnis, hunc Psalm. 103. versiculum, *Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra, iumeret explicandum.* Idque profectò tam aptè & tam conuenienter, vt certo certius non ab alio quam à futurorum omnium præscio id mandari potuisse videatur: erat enim ipse non sua, sed Dei virtute & gratia, motus futurus, qui de superioribus rigaretur, & de cuius operum fructu satiaretur terra.

Qui namque sunt montes? Magni Prædicatores, Sancti Dei excelsi, non gratia minus quam doctrina sublimes, qui sic idonei sunt alios docere, vt loquendo fideliter instruantur, vt viuendo salubriter imitentur. Hi montes sunt, & magni montes, montes Dei, non tales de quibus dicitur, *Tange montes, & sumigabunt*; sed de quibus scriptum est, *Suscipiant montes pacem populo*, de quibus legitur, *Montes in circuitu eius* (scilicet Ecclesiæ) de quibus Psalter Regius, *Preparans montes in*